



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad  
Perfectionem per Exercitia Spiritualia**

**Vatier, Antoine**

**Dilingæ, 1689**

Consideratio Pro Prima Die. De Missa, Vesperis, Sacra Communione, &  
Visitatione Venerabilis Sacramenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60263)

## CONSIDERATIO

Pro Prima Die.

De Missa, Vesperis, Sacra Communione, & Visitatione Venerabilis Sacramenti.

1. Præmissa Oratione preparatoria, & vocata Sancti Spiritus ope, considera, in profus diligentia illa obeunda esse Pietatis officia, quibus DEUM colimus; cum longè biliora sint illis, quibus circa Creaturas occupamur. Hujus generis sunt celebrare, vel dicere Missam, Vesperis ac Horis Canonicis, visitare, Sacram accedere Synaxin, visitare Venerabile Sacramentum &c. Fructus, qui percipitur, magnam partem dependet ex cultura, quâ te ad isthac præparas.

2. Quando te ad dicendum, aut audiendum Sacrum accingis, non aliter te gerere, quàm si Calvarie montem conscendere, & inania animò recollere velles, quæ olim illis sunt. Est enim hoc ipsum Sacrificium, hic JESUS, qui supra Aram immolatur, & per singillatim hoc ipsum præstat, quod in Cælesti suffixus pro universo hominum genere. Quis obsecro ex hac Consideratione tibi sensus debet? 3. Q

3. Quòd si durante Missâ singula expendere placeat, quæ à Sacerdote fiunt; actum Fidei præmittas, necesse est, quò sanctè protesteris, te firmissimo assensu omnia credere, quæ in tremendo hoc Sacrificio de Redemptore JESU tibi repræsentantur; cujus immensæ Charitati te æternùm obstrictum fateberis, paratissimus, non tantùm omnia vitæ tuæ momenta, sed omnes etiam sanguinis guttas, tuendæ hujus Mysterij Veritati consecrare, ad majorem Sanctissimi ejus Nominis honorem.

4. Confessio Generalis, quæ ad initium Missæ fieri solet, magnam tibi puritatem explicet, quam tanti Mysterij dignitas exigit. Dolentis animi affectum, & contriti cordis actum, quantum potes demissione, intus elice, quem vides externa corporis inclinatione, pectorisque tunctione, ita jubente Ecclesia, produci, ut publicâ scelerum detestatione, honorifica coram totâ cœlesti Curiâ multa statuatur in peccata, quibus ingrati mortales Divinam Majestatem offendimus.

5. Ut Divini hujus Sacrificij participem te reddas, necessarium omnino est, ut cor ab omnibus sordibus immune serves. Christus vitam suam, absolutissimam omnis Sanctitatis Ideam pro te obtulit. Para & tu ipsi sacrificium, & victi-

victimam pone vitam tuam, sensuum illecebrantibus  
& noxijs desiderijs deformem, tum enim verum  
te dignum reddet, qui incruento huic Sacrificio  
assistas, & de immenso Sacratissimi Sanguinis  
pretio liberaliter participes.

6. Cave obliviscaris intentionem excitatam  
quatuor antiquæ Legis Sacrificijs ex æquo  
spondentem, quæ omnia Sanctissimum Mysterium  
Sacrificium complectitur. Est enim *Holocaustum*,  
quò Divinæ Majestati supremum in  
nostraque omnia, Dominium devotissime  
serimus. Est *Victima Eucharistica*, quâ gratiam  
acceptorum Beneficiorum memoriam contem-  
mur. Est etiam *Oblatio Propitiatoria*, quâ con-  
missorum criminum veniam dolenter petimus,  
& Divinam vindictam Innocentissimæ  
Agni Sanguine placamus. Est denique *Sacrificium*  
*Impetratorium*, quò tum generatim  
vina Gratia auxilia à Divina Bonitate petimus,  
tum etiam speciatim pro hoc vel illo re-  
concursum, prout quemvis necessitas impedit.  
Erit autem cuius integram hac in re Augustini  
tricitis Gratia opem debita cum Reverentia  
agitare, & mutare quandoque vices, atque  
unam, cras alteram postulare Gratiam pro  
quam humanarum rerum vicissitudo, aut  
tidiana necessitas offert, occasione. Sed & i-

infiltrare precibus, & eundem favorem, ut securius assequaris, constanti devotione exigere poteris. Tu sanctæ hujus intentionis memoriam tene, & quod optimum videbitur, elige.

7. Quòd si ipse Sacris opereris, age, ut magnò pietatis fervore, Ritus, Verba, & Cæremonias præscriptas non aliter observes, ac si Christus ipse præsens adesset; si Sacrum auditurus ades, ita cogitationes, & cordis affectus collige, ut quæ Sacerdos agit, quæque profert, quantum fieri poterit, assequaris. Qui enim huic Sacrificio præsentibus assistunt, sacrificant & ipsi cum sacro Mysta, atque idcirco omnes cor idem, easdem cogitationes, linguam denique eandem habere debent.

8. Nihilominus si metuas, ne, dum Sacrum audis, mentis evagationem patiaris, affige cogitationes Vitæ Christi, ejusque Sanctissimæ Passionis, cujus omnia mysteria Missa exprimit; & hoc ipsum incruentum Sacrificium memoriam tibi refricabit ingentis illius Sacratissimi sanguinis effusionis, quæ olim Calvariæ montem purpuravit.

9. Opportunè etiam precibus uti poteris, quæ verbis & voce persolvuntur, non tamen ita occuperis, ut attendere ad ea non possis, quæ ad Aram Sacerdos agit, cum quo Sacrificium offeras.

ras. Præcipuè autem animum adverte ad oblationem Panis, & Vini, ad Consecrationem & Adorationem Augustissimi Sacramenti, ejusque assumptionem. Offer teipsum, quanto potius devotissimo animi sensu cum hoc ineffabile Mysterio Divinæ Majestati, & cum profundissima Reverentia teipsum prosterne, ac humilioram Sacratissimo Christi Corpore & Sanguine, quando illa tibi adoranda elevantur. Conspicere insuper tenerrimo affectu illa in Cordis sinum recipere, si ita pro ipsius Gloria, tuoque proprio commodò expedire videbitur.

10. Tempus autem perquam accommodum erit spiritualiter communicandi illi quod audiendæ Missæ impendis, si tum sacrosanctam Synaxin accedere non licebit. Hanc porro rituales Communionem illi devotè conjungam quam Sacerdos reipsa præstat; certus, quod tam sancto opere magnum Gratiæ augmentum capere possis, siquidem, quò decet pietatis studio, illud obeas.

11. Sed & Vesperis Diebus Dominicis Festis, siquidem nullò tuò incommodò potius diligenter assistes, & hanc exiguam sinceritatis testificationem Divinæ Majestati promittas atque obsequioso cordis affectu tribues; tantis æternùm obstrictus vivis. Siquidem

Matutinum tantum tempus, sed & pomeridianum Divino Nomini oportet demissè impendere: certè præstat magis templò penitus abstinere, quàm in illo sine Devotione, & debiti respectùs significatione tempus perdere.

12. Ad Sanctissimum incruentæ Aræ Sacramentum non aliter accede, quàm si Paradisum ipsum, & felicissimum illum Beatarum Mentium cœtum ingredi velles; cum non minori Reverentia ac cordis puritate oporteat Christum suscipere, quàm ab ipso suscipi.

13. Si conceptum animi fervorem frequentiori sacræ Synaxeos usu imminui sentias, clarè demonstras, te minori, ac par erat, pietatis studiò paratum illam adijisse; cum nihil æquè pectus inflammet, & ad sequentem Communionem rectè obeundam ita disponat, ac præcedens Communio ritè obita. Gratia, quæ per hoc Sanctissimum Sacramentum piè sumentibus confertur, satiat, non sauciat appetitum, & citra fastidium saturando, acuit desiderium communicandi. Prorsus ut visio DEI, quæ jucundissimo aspectu ita cœlitum mentes implet, & recreat, ut immensa semper percellat voluptate, siquidem post mille, atque iterum mille annos, quos intuendo DEO exegerunt, tantò tamen illius videndi desiderio impellantur,

tur, quantò arserunt, cùm primùm Coeli atrium subièrunt. Similèrne gustum tuæ, quæ obis, Communiones in te excitant?

14. Consultum porrò erit, ut sacra Communionis tempore cum dulcissimo tuo Hospite JESU occuperis, revocando in mentem id quod in servitio DEI difficillimum tibi occurrere solet, & collectò tum animò ita tecum ratiocineris: en, DEUS tuus se totum tibi impendit; an non vicissim te totum ipsi donabis? Difficultatem, quæ te, quò minùs hucusque faceres, retardavit, an non generosè iustissimo ipsius amore superabis? an non volens libenter offerre, quod nemo audebit illi negare? Ita oportet seipsum urgere, & suaverter ad præstandum debitum impellere. Certe si ullum in hac mortali vita opportunum agendi sincero cordis affectu cum amantissimo Hospite JESU tempus erit, illud erit, quò Sacratissimum Christi Corpus sumimus; hoc si bene impenderis, experieris, quem, & quantum Sacra Communionis fructum colligere possis.

15. Sed dic, obsecro, quid impedimenti esse potuit, quòd hucusque tam modicum ex sacrosanctæ Eucharistiæ sumptione profecere ceperis? Nunquid quia Potentiâ & Bonitatem amantissimi Hospitis in commodum tuum

neglexisti, aut non eâ, qua par erat, reverentiâ, negotium animæ tuæ cum ipso intus egisti? An fortè quia animum à consueta ad tam sublime Mysterium præparatione, & debita gratiarum actione incautè avocasti? Vel certè, quia hos ipsos affectus non pro ea, ac res exigit, varietate mutasti. An verò quia solitus es semper ipse loqui, & non potius auscultare verba salutis, quæ quandoque liber Dulcissimo Hospiti intus ad cor nostrum facere? Adhæbe deinceps eam diligentiam, quam & tantæ Majestatis dignitas, & tantæ Bonitatis amor, & propria tua exigit necessitas: illâ utere varietate, quæ conciliare devotionem, & utilitatem asserre possit; & cogita: ut magnum esset irreverentiæ argumentum, Dominum, ac Servatorem tuum intra viscera tua otiosum relinquere, ita imprudentiâ & damnò non carere, animum ad illa non advertere, quæ ipse ad cor tuum loqui dignatur.

16. Necessarium prorsus non est, novos quotidie excogitare piè communicandi modos; ille optimus est, qui cõmunis; siquidem illo rectè utaris. Quid enim nos magis cum DEO nostro, interno quodam vinculo connectit, quàm ea animo studiosè vovere, quæ fides nos circa hoc Mysterium communissimè

H

docet;

docet; ut nimirum cum ante, tum post sacram  
 Communionem, hisce maximè cogitationibus  
 occupemur. *Quis est iste, qui ad me venit?*  
*quis sum ego qui ipsum recipio. Quomodo*  
*ad me venit? & quo pacto ego ipsum accedo?*  
*quare ipse ad me venit? & quam ob causam*  
*ego ipsum accedo? quis est iste, quem ego in*  
*me suscipio? quis sum ego, qui ipsum intra*  
*suscipio? quid potest ipse pro me, quid ego*  
*ipso facere? quid ille desiderat pro me facere*  
*& ego quid pro ipso faciam? quid petam*  
*ipso, & quid ipsi retribuam? Collige te ipsum*  
 & bene expende horum verborum sententias  
 multiplices profectò pietatis ac devotionis  
 factus excitabis.

17. Si verum est, quòd unica Communionem  
 nos possit perfectos reddere, palmaris san-  
 ctae ipsius, necesse est, quòd post toties  
 sumptum Sacratissimum Christi Corpus & Sa-  
 cramentum, adhuc sordibus pleni, luto inhaeramus.

18. Excute singillatim miseras tuas  
 quanto potes inclinatae voluntatis affectu,  
 minimum tuum alloquere, & precare, ut ad  
 te veniat. Paratissimus est in hoc Sacramen-  
 to, ad praestanda tibi officia, & ad  
 agenda ea consilia, quae Magister optimus,  
 dicitur, Advocatus, Consolator, Redemptor

amicus sincerissimus suggerere potest. Ille nihil aliud desiderat, quàm omne optimæ voluntatis studium tibi exhibere. Si mihi fidem dabis, accurre ad ipsum, & impensissimè roga- bis: dignetur te ita illuminare, ut agnoscas ea, quæ tibi maximè necessaria sunt, simulque at- tentum te reddat ad eos pietatis sensus, quos in te excitare dignabitur. Tu verò vicissim promptissimum te offeres, ad præstanda diligen- tissimè omnia ea, quæ ipse abs te fieri desiderat.

19. Quàm malè moratus aulicus tu es! ut qui tam segniter aulae officia tractas? Princeps tuus cupit te videre, totos dies ac menses, imò integros annos, in regio suo Palatio te præstola- tur: & quoties ipsum visitatum accedis? Pu- asne, ipsum hanc suæ oblivionem non admo- dum curare? Nimia ipsius Bonitas impedit qui- dem, ne in hunc neglectum graviùs animadver- sat. Interim tamen ille immensâ suâ munifi- centiâ etiam minima compensat, & remunera- tur obsequia, quæ à fervidioribus suis Cultori- bus ei impenduntur.

20. His visitationibus, tot titulis ipsi debi- tas regulam statue; elige tempus, & locum com- modum; præpara cor tuum, & bonam, eamque articulare semper præfige Intentionem. Non prohibeo, quin illud petas, ad quod tuus te

animus impellit : hoc solum moneo, ut impi-  
mis animadvertas, compendiosissimam impe-  
tranda singularis gratia viam esse, si affectus  
illius, qui scit, & potest nos infinitis obstringat  
beneficiis, omni, quâ poteris, amoris, & ob-  
sequii demonstratione, expugnare &  
lucrari coneris.

